ENNIO QUID DEBUERIT LUCRETIUS.

PARTICULA I.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS ADIECTIS
DIE XXIX M. SEPTBR. A. MDCCCLXXXVIII HORA XII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HERMANNUS PULLIG
RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
IOANNES ROSENBOOM, DR. PHIL.
CAROLUS WEISKE, CAND. PROB. SCHOL. LAT.

HALIS SAXONUM
TYPIS EXPRESSIT W. PORMETTER, BEROLINENSIS.
MDCCCLXXXVIII.

ERNESTO FRATRI BONO PROBATOQUE

SACRUM.

Plurimos Romanorum scriptores ex antiquioribus deprompta in suum usum convertisse facile ex illorum scriptis inter se comparatis et veterum testimoniis perspicimus. Atque tantum afuit, ut ab aliis quaedam se mutuatos esse veteres illi scriptores negarent aut, unde quid arcessivissent, dissimulare studerent, ut imitationem palam agnosci vellent. Afranius enim arguentibus, quod plura a Menandro sumpsisset, respondit:

Fateor, sumpsi non ab illo modo,
Sed ut quisque habuit, conveniret quod mihi,
Quod me non posse melius facere credidi
Etiam a Latino [1]).

Illud autem quaerentibus, quomodo factum sit, ut tot imitationes permulti Romanorum scriptores admitterent, causas fuisse memoriam, consuetudinem, linguae Romanae penuriam, recitationes iam inde a Livii Andronici Enniique temporibus haberi solitas cum multi tum Hertzius [2]) et Baehrensius [3]) scite et recte exposuisse nobis videntur.

Praecipuum autem atque singularem inter Romanorum poetas locum obtinet Ennius; hunc omnes et antiquioris et excultioris aetatis Augustae scriptores plurimi ducebant et tamquam patrem totius poesis Romanae suo iure colebant atque venerabantur; cuius rei testimonia et gravissima Romanorum scriptorum de Qu. Ennio iudicia nuperrime collegit Lucianus Muellerus de studiis Ennianis optime meritus in Ennii Carm. Reliq. editione (Petropoli 1884) p. 145 sqq. idemque vir doctissimus de poeta Rudino egregie disputavit in libro suo *Quintus Ennius* (St. Petersburg 1884) p. 3 sqq.

---

[1]) Cf. Macrob. Saturn. VI, 1, 4 p. 346 ed. Eyss.

[2]) Opuscula Gelliana Berol. 1886 p. 152. 153.

[3]) In ea praefatione, qua C. Valerii Flacci Argonaut. editionem (Lips. 1875) ornavit, p. VI.

cui Muelleri de Ennio iudicio non repugnat, quod etiam hic, id quod premit Baehrensius[1]), ex antiquiorum poetarum operibus nonnihil in sua carmina transtulit.

Ab Ennio igitur, ut paucis complectar, neque Terentius (cf. Eunuch. III, 5, 42

At quem deum! qui templa caeli summa sonitu concutit

cum Ennii[2]) versu trag. 421 [fab. 399]

Qui templa caeli summa sonitu concutit)

neque Varro Atacinus[3]) (cf. Argonaut. lib. IV frg. II

Semianimesque micant oculi lucemque requirunt

cum Ennii ann. 463 [a. 511]

Semianimesque micant oculi lucemque requirunt)

neque politioris atque elegantioris aevi Augusti poetae in sua poemata versus assumere aut nonnulla mutuari dubitarunt. Vergilium enim versus Ennianos vel totos vel leviter commutatos adscivisse et nos ipsi Aeneide cum Ennii reliquiis collata facile cognoscimus et Macrobius[4]) et praeter ceteros nuper Bentfeldius[5]) et Kruegerus[6]) copiose atque docte demonstrarunt. Quid quod etiam Horatius[7]),

---

[1]) In disputatione sua *Ennius und seine Vorgänger* Fleckeis. annal. 1886 p. 410.

[2]) Editionis Vahlenianae (Lips. 1854) eos numeros, qui in margine indicati sunt, ita sequimur, ut, cum haec editio admodum rara a paucis possit adiri, uncis inclusos etiam Muellerianae editionis numeros adiiciamus. Nec vero illam Ennianarum reliquiarum editionem inspicere neglexímus, quam nuperrime Aemilius Baehrensius (in libro suo *Fragmenta poetarum Romanorum*, Lips. 1886 p. 58—137) vulgandam curavit.

[3]) Cf. M. Ter. Varronis satt. Menipp. rec. A. Riese Lips. 1865 p. 262.

[4]) In Saturnal. libro VI, 1, 8 sqq. p. 347 sqq.

[5]) *Über den Einfluſs des Ennius auf Vergil.* Progr. Salzburg 1875.

[6]) Vergilii Aeneis quibus in rebus iudicanda sit secuta esse exempla veterum poetarum . . . Diss. inaug. Jenae 1874.

[7]) Cf. versus ex Ennio ann. 270. 271 [a. 253. 254] repetitos cum Hor. sat. I, 4, 60. 61 et Porphyr. annot. ad Hor. carm. I, 9, 1. 2, 17; III, 24, 50. Atque formulam illam *operae est pretium*, qua Ennius a. 16 et 454 [a. 483 et 477] coniuncta cum cognoscendi vel audiendi verbo utitur, etiam Horatius (cf. s. II, 4, 63; I, 2, 37 ep. II, 1, 229) libenter usurpat, unde hanc phrasin sumpserunt Persius (VI, 9) et Iuvenalis (VI, 474); neque dubium est, quin Flaccus sat. I, 10, 30 *Canusini more bilinguis* versum illum Ennianum a. 488 [a. 601] respexerit, quocum conferendus est versus Lucilianus 1181g ed. Lachm. Poetam autem Venusinum carm. III, 3, 18 deorum consiliantium concilium describentem meminisse Ennii ann. 61—65 [a. 68. 72] scite colligit Vahlenus praef. Enn. p. XXXII. Praeterea cf. versum Horatianum epico quodam sono exeuntem

quem veteres Latinorum poetas eorumque vitia severe persecutum esse constat, neque Ennium patrium sermonem ditavisse novaque rerum nomina protulisse[1]) negat et ex huius poetae carminibus versus integros mutuatur aliaque in suum usum vocat?

Quodsi ex Ennio totam fere poesin Latinam exortam esse plerique posteri Romanorum scriptores libere profitentur atque etiam elegantioris Augustae aetatis poetae imitandum illum sibi proponunt, eo rectius potiusque Lucretium, qui ne ab aliis quidem antiquioribus Latinorum poetis nonnulla mutuari dubitaret[2]), vatis Rudini vestigia secutum esse coniicimus. Ennius enim primus res a Romanis inde ab urbe condita ad sua tempora gestas cecinerat atque id condiderat carmen, quod ut vere Romanum omnes posteriores summis efferebant laudibus; hic, etsi pluribus quam Lucretius poesis generibus operam navaverat, tamen illud genus didacticum, quo de rerum natura agitur, primus Romanorum poetarum tractaverat. Adde quod Ennius in litteras Latinas versum heroum introduxerat, linguam ad hoc metrum novum sermonique Latino inusitatum aptaverat novaque finxerat vocabula. Lucretius autem eodem, quo ille in annalibus suis usus erat, metro carmen de rerum natura composuit; mirum igitur, ni Ennii vestigiis institisset. Atque illud vix minimi momenti instar habeas, quod Lucretius, quippe qui etsi ineunte aurea, quam nos dicimus, litterarum Romanorum aetate carmen suum scripsit sermonemque priore asperitate purgare studuit, tamen ardentissimus totius vetustatis esset sectator, illum antiquum sermonis colorem diligentissime servavit et, cum totiens patriae linguae egestatem deploraret, libenter eo exemplo usus est, quo se sermonemque suum formaret. Denique e Romanorum poetarum grege Ennium unicum Lucretius laudat atque praedicat, huius eximias canit laudes

---

sat. II, 2, 52 *Parebit pravi docilis Romana iuventus* cum Ennio a. 459. 527. 538 [a. 521. 519. 520] et huius versiculi clausulam Hor. ep. I, 10, 9 *rumore secundo* cum Enn. a. 260 [a. 263] et Enn. a. 535 . . . *legio rediit rumore ruinas*, quem versum ita scribendum esse coniecit Muellerus a. 261 . . . *legio rediit rumore secundo.* Vide etiam Verg. Aen. VIII, 90.

[1]) Cf. ann. p. 56 sqq.

[2]) Cf. V, 318 sq. ed. Lachm. *Denique iam tuere hoc, circum supraque quod omnem | continet amplexu terram* cum Pacuv. vv. 86. 87 (Ribb. Frg. trg. Rom.² Lips. 1871 I p. 245) *Hoc vide, circum supraque quod complexu continet | Terram*; neque ii versus, qui utriusque poetae locos laudatos continuant, aut argumento aut ipso verborum sono dissimiles sunt.

meritaque in caelum fert; immo se huius opus quodammodo continuare profitetur. cf. I, 117 sqq.

Ennius ut noster cecinit, qui primus amoeno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam,
Per gentis Italas hominum quae clara clueret;
Etsi praeterea tamen esse Acherusia templa
Ennius aeternis exponit versibus eidem.

Ennii igitur exemplum Lucretium imitari cum coniectura probabile est tum quibusdam etiam vestigiis indicatur, de quibus iam copiosius disseram. Qua in quaestione nonnullorum virorum scriptis, in quibus legendis et tractandis et ipse me non infitior diligenter esse versatum, aliquantum adiutus sum; hunc in numerum hosce potissimum refero:

Macrobium (in Saturnaliorum libro VI), Columnam (in commentario, quo Ennianorum fragmentorum editionem curante Francisco Hesselio Amstel. 1707 instruxit), Forbigerum (editionis Lucretianae Lips. 1828 et in praefatione p. XXXII not. 8 et in multis commentarii annotationibus), Reisackerum (Quaest. Lucret. diss. inaug. Bonnae 1847 p. 42), Bergkium[1]) (passim in disputationibus suis Ennianis et Lucretianis), Bouterweckium (Lucret. quaest. gram. et metr. Halis 1861), Lucianum Muellerum (et in commentario suo Enniano et in libro suo *Quintus Ennius*[2]), Martinum Hertzium (cf. supra p. 5 not. 2), Munroum (in editionis Lucretianae[2] [Cambridge 1866] multis locis). Neque Prollii egregiam *de formis antiquis Lucretianis* dissertationem (Vratisl. 1859) silentio duco praetermittendam[3]).

Qui viri doctissimi, quamvis multum ad Ennii Lucretiique carmina interpretanda profecerint paucisque exemplis alterum poetam cum altero congruere passim nos docuerint, tamen permultas inter utrumque poetam similitudines neglexerunt multaque, quae et potuerunt et debuerunt commemorare, silentio omiserunt. Itaque cum nemo adhuc, quantum scio, Ennianae Lucretii imitationi pertractandae studuerit, operae esse pretium mihi persuasi accuratius exponere, quid Ennio Lucretius debuerit.

---

[1]) Cf. huius *Kleine philol. Schriften* ed. R. Peppmüller. Halis 1884. I.

[2]) Cf. supra p. 5.

[3]) Etiam Eichstaedtius in ed. Lucret. (Lips. 1801) praefatione p. C et Mommsenus (*Röm. Gesch.*[5] 3, 578 sqq.) in praeclarissima illa Lucretii descriptione hunc poetam cum Ennio arte cohaerere commemorarunt.

Qua in disquisitione me viam sane lubricam ingressum esse ego ipse minime ignoro; nam qui natura sua atque indole permotus de omnibus veterum Romanorum poetarum imitationibus addubitet omnesque fere inter singulos scriptores similitudines casu et fortuito esse ortas censeat, is eo minus in Ennii paucis atque mutilis reliquiis sibi persuadeat, eas similitudines, quae hunc inter poetam et Lucretium intercedunt, ex imitatione quadam profectas esse.

Sed iam rem ipsam aggressuri, ut rectam quaerendi rationem instituamus, primum de magno inter Ennium et Lucretium consensu disseramus. Deinde dicemus de diversis varii generis imitationibus, quas quidem non solum ex singulis versibus, similibus comparationibus et locutionibus, sed etiam e pari singularum vocum usu et forma cognoscere nobis liceat. In altera autem huius dissertationis parte de rebus aliquot grammaticis, metricis, syntacticis, quarum in usu Lucretius ex Ennio pendere videtur, pauca adiungemus.

I.

Atque primum quidem de magno inter Ennium et Lucretium consensu enarrabimus. Ingenii quadam facultate adductus uterque poeta poesin colebat et permagni aestimabat. Cf. Enn. sat. 6. 7 [sat. 8. 9]

Enni poeta[1]) *salve, qui mortalibus*
Versus propinas flammeos medullitus.

Lucret. I, 412. 413

Usque adeo largos haustus e fontibu' magnis
Lingua meo suavis diti de pectore fundet.

Hunc *iuvat integros accedere fontis atque haurire*[2]), *iuvatque novos decerpere flores*; cf. totum clarissimum illum libri primi locum vv. 921—934, ubi de poetica sua facultate atque studio agit Lucretius.

Ita factum est, ut Ennius et Lucretius, qui veros poetas se

---

[1]) Ennius quidem poetas sanctos appellavit cf. Cic. p. Arch. 8, 18. — De vatis poetaeque vocum vi ac notione cf. Bergkium l. l. I, 67 et Muellerum De re metrica . . . Lips. 1861 p. 65. 66.

[2]) Cf. Lucil. v. 933.

profiterentur, carmina sua per omnia tempora mansura summamque claritatem adeptura sibi persuaderent. Cf. Enn. ann. 3. 4 [a. 2. 3]

Latos per populos terrasque poemata nostra
Clara cluebunt[1]),

quem locum non dubium est quin Lucretius ante oculos habuerit, cum I, 119 scriberet:

Per gentis Italas hominum quae clara clueret

(sc. detulit Ennius ex Helicone coronam); Lucretium autem hoc loco verisimile est ad Ennii quosdam versus respexisse, quibus hic sibi quondam in Helicone recubanti lauream a Musis tamquam poeticae facultatis insigne traditam esse narraverat[2]). Lucretius autem Musarum amorem sibi aeternae laudis spe incussum et carmine Pierio Musaeoque lepore se loca Pieridum peragraturum affirmat (cf. I, 924 sqq.; IV init.) speratque se *insigni cum laude coronam* capturum (VI, 95); neque alia spe commotus Ennius amicos mortuum se lacrimis decorare vetuerat atque exclamaverat epigr. 4 [sat. 68]

volito vivus per ora virum.

Hunc igitur propriae laudis canendae morem Lucretius Ennio debuisse nobis videtur; eundem autem morem secutos esse omnes fere posteriores Romanorum poetas nemo est qui nesciat; cf. Lucil. vv. 904—907; Hor. ep. I, 20, 10. c. III, 30; Ov. am. I, 15, 41 sq.; Propert. (ed. Lachm. Berol. 1829) IV, 2, 23 sq.; Phaedrus in libri IV prologo vv. 17 sqq. Vergilius quidem, diligentissimus ille Ennii sectator, ipsis Ennianis verbis usus est Georg. III, 8 sq.:

Temptanda viast, qua me quoque possim
Tollere humo victorque virum volitare per ora.

Musis autem ipsis cum poeticam indolem debere se uterque sibi bene conscius sit, non mirum, Ennium, qui se primum Musarum scopulos superavisse gloriatur[3]), Homeri morem secutum Musas invocavisse, ut operi suo faverent cf. ann. I et II [a. 1]

Musae quae pedibus magnum pulsatis Olimpum

---

[1]) Cf. Usenerum mus. Rhen. 35 p. 138. Baehrensius quidem (Enn. frg. a. 13) illos versus non male ita emendavit: . . . *latos | per populos os atque poemata nostra cluebunt | clara.*

[2]) Somnii illius Enniani (cf. a. V—IX [a. XI. XIII. XIV]), de quo videas Muellerum *Qu. Ennius* p. 139 sqq., mentionem facit Lucretius I, 124 sqq.

[3]) Cf. a. 223 [a. 228].

in libri X prooemio a. 332 [a. 377]

Insece Musa manu . . .

eiusque exemplo Lucretium indulsisse, qui VI, 92—95 ita Calliopen Musam precatus est:

Tu mihi supremae praescripta ad candida calcis
Currenti spatium praemonstra, callida Musa
Calliope, requies hominum divomque voluptas,
Te duce ut insigni capiam cum laude coronam.

Porro in carminis sui prooemio, quo Venerem oratione aliqua ardenti, ut ita dicam, praedicat, Lucretius, licet huius deae vim potentiamque ratione imprimis philosophiae habita cecinerit, tamen Ennii videtur non immemor fuisse[1]; hic enim in annalibus suis a. 53 [a. 45] *Te sale nata precor Venus, te genetrix patris nostri* Iliam a Venere precantem fecerat[2]; ille autem in carminis sui exordio Venerem, Aeneadum genetricem, quae a Romanis praeter ceteros deos colebatur, imploravit, ut incepto suo faveret. Ennianum autem exemplum Lucretium imitatum esse eo veri similius fit, quod vix credi potest, hunc id carmen, quo deorum opinionem impugnare et *religionum animum nodis exsolvere* studebat, Veneris deae ab invocatione exorsurum fuisse, nisi legentium animos hoc usu ab Ennio celebrato magno opere se delectaturum sperasset.

Videamus, cur uterque poeta de rebus philosophis vulgique religione illudenda eadem fere sensisse putandus sit. Qua in quaestione Lucretium, etsi e Graecorum fontibus eum hausisse viri doctissimi probarunt[3], tamen interdum Ennii vestigia sequi apparebit. Neque id mirum est. Ab Ennio enim etiam philosopha Romanorum studia initium ceperunt; hic poeta, cui philosophari erat necesse, quamquam in philosophiam ingurgitandum negabat, tamen ex ea sibi persuadebat degustandum[4]; hic non

---

[1]) Cf. Vahlenum in Actis Acad. Berol. 1877 p. 482.

[2]) Cf. ad Lucr. I, 1 Jacobum Bernaysium (huius *Gesammelte Abhandlungen* ed. Usenerus, Berol. 1885, II p. 2).

[3]) Praeter ceteros nuper Woltjerus (*Lucretii philosophia cum fontibus comparata* Groningae 1877), qui vir doctissimus p. 176. 177 inquisitionis suae summam complexus satis demonstrasse sibi videtur, Lucretium neque in philosophia quidquam praetitisse, quo sui iuris philosophus dici posset neque conscium ab Epicuro magistro aberravisse.

[4]) Ita dicentem facit Ennius Neoptolemum trag. 417 sq. [f. 424].

tam annalium exordium[1]) quam tragoedias suas philosophis sententiis ornaverat et in libris suis, qui Epicharmus et Euhemerus inscribuntur, rebus philosophis tractandis eximie dederat operam. Nam, ut ex fragmentis ipsis facile patet, in Epicharmo suo, quo in carmine eum ex Alexandrinorum, quos dicimus, fonte hausisse probabile est, de rerum natura, elementis, corpore, animo disputavit, in Euhemero autem sive *sacra historia* Euhemerum philosophum et interpretatus et praeter ceteros secutus est (cf. Cic. de nat. deor. I, 119).

Veri igitur simillimum est, Lucretium, praesertim si formam philosopharum sententiarum spectamus, illius poetae Romani exemplum et vestigia sequi, a quo philosopha Romanorum studia orta sunt. Huc accedit, quod Ennius et Lucretius ex iisdem Graecorum fontibus hauserunt; illud igitur nobis recte suspicari licet, alterum alterius memoriae in argumentis philosophis tractandis saepius indulsisse sententiasque aliquot similiter formatas expressasque debuisse. Quod ut recte probemus, Ennianos aliquot locos cum versibus Lucretii conferamus.

Euripides et Epicharmus hominum animum e sole, qui totus e mente constaret, oriri vel ἀπόσπασμα αἰθέρος[2]), qui esset immortalis[3]), esse statuerant; hanc de animo doctrinam Ennius in Epicharmo suo vv. 6. 7 [sat. 38 sq.] ita secutus est:

Terra corpus est, at mentis ignis est.
Istic est de sole sumptus: isque totus mentis est.

Similiter Lucretius I, 715 (sc. qui rentur)

Ex igni terra atque anima procrescere et imbri.
II, 991 *Denique caelesti sumus omnes semine oriundi.*

Iovem autem eundem esse atque aërem e veteribus philosophorum Graecorum placitis Ennius didicerat; cf. Epich. 8 sqq. [sat. 41 sq.]

Istic est is Iuppiter quem dico, quem Graeci vocant
Aërem[4]): *qui ventus est et nubes*: e. q. s.

---

[1]) Vahlenus quidem praef. Enn. p. XXI sq. suo iure nos admonet, ne quid in eo offendamus, quod Ennius parum concinne in carmine epico philosophis doctrinis locum concessisse videatur.

[2]) Cf. Lorenz: *Leben und Schriften des Koers Epicharmos.* Berol. 1864 p. 105.

[3]) Cf. Cic. Cato m. 21, 78.

[4]) Recte Bergkius l. l. I p. 67: *Porro aëris nomen idem Ennius primus Latinorum adscivit, unde sumpserunt posteriores poëtae, etiam Lucretius.*

trag. 402 [fab. 308]

Aspice hoc sublimen candens, quem invocant omnes Iovem.

similique modo Lucretius ita Iovem explicavit, ut hunc esse aerem diceret, quo omnibus animalibus ad vivendum opus esset, et aetherem vel caelum patrem appellavit cf. I, 250 *pater aether*[1]) et II, 992. Vix igitur mireris, utrumque poetam ad sententiam suam probandam idem de avium ovis argumentum adhibuisse, cf. Lucr. II, 924 sqq. Enn. a. 10 sq. [a. 122 sq.]; ad hunc autem locum Ennianum:

Ova parire solet genus pinnis condecoratum
Non animam: et post inde venit divinitus pullis
Ipsa anima

proxime accedit versus Lucretianus I, 116 *an pecudes alias divinitus insinuet se* sc. ignoratur anima; hoc autem adverbio *divinitus* utrumque poetam in re cognata usum esse iam Bernaysius l. l. p. 12 ad I, 116 vidit.

Illam vero sensus affinitatem inter utrumque poetam interesse vix quisquam neget, si v. Enn. Epich. 4. 5 [sat. 46 sq.]

Terris genteis omnis peperit et resumit denuo
Istaec dat cibaria[2]) *atque quod gerit fruges, Ceres*

ann. 13. 14 [a. 7 sq.]

terraque corpus
Quae dedit ipsa capit neque dispendi facit hilum

cum eo loco contulerit, quo Lucretius, quaecumque ex aetheris ovis missa sint, ea in caelum reverti neque quidquam interire significat; cf. II, 999—1001

Cedit item retro, de terra quod fuit ante,
In terras, et quod missumst ex aetheris oris
Id rursum caeli rellatum templa receptant

cf. V, 257 sqq.

Ennius igitur verbis illis *quae dat cibaria*[3]) terram matrem describere voluit, quae populis suis aleret omnia et conservaret; a quo non longe recedit Lucretius, cum terram saepius matrem appellat cf. II, 598. 599. 658. 659. 998; V, 795. 821. — cf. Pacuv. v. 93 apud Ribbeckium; Verg. Aen. XI, 71.

---

[1]) Cf. Pacuv. vv. 89—91 ed. Ribbeck.

[2]) Quae verba Muellerus ita emendavit: *atque dat cibaria*, melius Baehrensius (Enn. frg. 503), cum Opis vocem ob sententiae structuram a Varrone (de l. l. V, 64) omissam suspicetur: *Ops, quae dat cibaria.*

[3]) Cf. Varro de l. l. V, p. 69 sq. ed. Spengel.

Iam quid de diis, religione, vatibus uterque poeta senserit, *non ita difficilest rationem reddere dictis.*

Epicurus eiusque discipuli promiserant fore ut natura perspecta hominum animi a deorum mortisque metu liberarentur (cf. Cic. de fin. I, 19, 63); quorum doctrinam secutus Lucretius, cum homines mortis timore, *funditus humanam qui vitam turbat ab imo*, liberare eorumque animos religionis vinculis solvere studeat[1]), cum Ennio multimodis consentit; hic enim non solum in Epicharmo suo, cum Iovem aerem omnia cingentem esse contenderet, patris deorum maiestatem irriserat, sed etiam in eo libro, qui Euhemerus inscribitur, omnes deos fuisse re vera homines aut fortes aut claros aut potentes dixerat, qui pro meritis suis in deorum numerum relati essent. Ita autem diis explicatis ad rationemque revocatis Ennius priscis Romanorum moribus institutisque maxime adversatus religionem ipsam una cum omni deorum metu videtur[2]) penitus sustulisse. Nec vero huius est loci accuratius disquirere, num Ennius eadem qua Lucretius ratione ad illam sententiam perductus sit[3]); itaque ilico illos versus, quos Telamonem dicentem inducit Ennius:

E. trag. 353 sqq. [fab. 208 sqq.]

Ego deum genus esse semper dixi et dicam caelitum,
Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus:
Nam si curent, bene bonis sit, male malis, quod nunc abest

comparemus cum Lucr. V, 82

Nam bene qui didicere deos securum agere aevom[4]),

II, 646 sqq.

Omnis enim per se divom natura necessest
Immortali aevo summa cum pace fruatur
Semota ab nostris rebus seiunctaque longe,

II, 1092 sqq.:

Nam pro, sancta deum tranquilla pectora pace
Quae placidum degunt aevom vitamque serenam,

praeterea cf. V, 1175 sqq.; VI, 68 sqq.

Vulgi autem religionem uterque ita impugnabat, ut e naturae doctrina philosopha illam reiiciendam esse demonstraret; Ennius

---

[1]) Cf. Woltjerum l. l. p. 6 et 7. Lucr. I, 932; V, 1161 sqq.

[2]) Cf. Cic. de n. deor. I, 119.

[3]) Qua de re docte disputat Prollius l. l. p. 4.

[4]) Cf. Hor. sat. I, 5, 101.

quidem in ea tragoedia, quae Melanippe inscribitur, pravam vulgi superstitionem castigat, cf. ed. Vahl. p. 132. 133 [M. p. 125]; Lucretius autem plurimis locis vituperat atque deplorat *genus infelix humanum, talia cum divis tribuit facta* arasque deorum multo quadrupedum sanguine spargit. (cf. I, 62 sqq. 80 sqq. 83 *religio peperit scelerosa atque impia facta.* 101; IV, 7; V, 1165. 1194 sqq.[1]).

Ita fit, ut utrumque poetam similiter illudere videamus astrologos:

Enn. trag. 275 sqq. [fab. 74 sqq.]

Astrologorum signa in caelo quaesit, observat, Iovis
Cum capra aut nepa aut exoritur lumen aliquod beluae,
Quod est ante pedes, nemo spectat: caeli scrutantur plagas.

Lucr. V, 727 sqq.:

Ut Babylonica Chaldaeum doctrina refutans
Astrologorum artem contra convincere tendit,
Proinde quasi id fieri nequeat, quod pugnat uterque
Aut minus hoc illo sit cur amplectier ausis.

item vates hariolosque:

Enn. trag. 356 sqq. [fab. 211 sqq.]

Sed superstitiosi vates inpudentesque arioli,
Aut inertes aut insani aut quibus egestas imperat, ...

ann. 370 [a. 407]

Satin vates verant aetate in agenda

quo versu derideri vates apertum est.

trag. 79 [fab. 22] (sc. verba Cassandrae)

Missa sum superstitiosis ariolationibus

Lucr. I, 103 sq.

Tutemet a nobis iam quovis tempore vatum
Terriloquis victus dictis desciscere quaeres e. q. s.

I, 109 sc. homines valerent

Religionibus atque minis obsistere vatum.

cf. IV, 594; VI, 381.

Nec vero solum de diis vulgique superstitione uterque eadem fere sentit, sed etiam eadem de vita moribusque praecepta

---

[1]) De superstitione, qua erant oppressi Romanorum animi cf. Hor. sat. I, 5, 97 sq.; II, 3, 79 sqq., 281—295. Lucil. vv. 134. 439 sq. Cic. de fin. I, 19, 63. Woltjerum l. l. p. 6.

e communi Epicuri fonte hausta sequitur. Sensus enim affinitatem quandam ex hisce utriusque poetae versibus nemo non colligit:

Enn. trag. 310 [fab. 282]

Qui ipse sibi sapiens prodesse non quit, nequicquam sapit

Lucr. V, 1133 *Quandoquidem sapiunt alieno ex ore*

vel ex Enn. ann. 403. 404 [a. 434 sq.]

Reges per regnum statuasque sepulchraque quaerunt,
Aedificant nomen:

Lucr. III, 78 *Intereunt partim statuarum et nominis ergo.*

Summa autem similitudo horum locorum vix quemquam fugiat, quibus uterque animi aegritudines ita describit, ut alterum alterius memoriae indulgere probaliliter dicamus:

Enn. trag. 256 [f. 58] *Otioso in otio animus nescit quid velit*

258 sq. [f. 60 sq.]

Imus huc, illuc hinc: cum illuc ventum est, ire illinc lubet:
Incerte errat animus, praeter propter vitam vivitur.

260 sq. [f. 62. 63]

Animus aeger semper errat neque poti neque perpeti
Potis est — cupere numquam desinit.

Lucr. III, 1058 sqq. (sc. nunc plerumque videmus)

Quid sibi quisque velit nescire, et quaerere semper
Commutare locum, quasi onus deponere possit.
Exit saepe foras magnis ex aedibus ille,
Esse domi quem pertaesumst, subitoque revertit,

cum quibus Lucretii versibus cum in dictione tum in sensu mirum quantum consentit illud Ennianum trag. 258 [f. 60 sq.]; neque alio revocandi sunt versus Lucretiani III, 1068. 1069

Hoc se quisque modo fugit: at quom, scilicet, ut fit,
Effugere haut potis est e. q. s.

Qui igitur caeca cupiditate et scelerato habendi amore agitatur, eum uterque poeta vera sapientia carere dicit:

Enn. trag. 337 [f. 370]

Stultust, qui cupita cupiens cupienter cupit[1]).

De illa autem insatiabilitate similiter Lucretius:

---

[1]) Cf. Lucil. v. 832 *Cupiditas ex homine cupido numquam tollitur.*

V, 1430 sqq.

Ergo hominum genus in cassum frustraque laborat
Ni mirum, quia non cognovit quae sit habendi
Finis[1])

(praeterea cf. III, 1003. 1004. 1007) certissimasque censet esse divitias, suis rebus esse contentum

E. a. 250 [a. 306]

Suavis homo facundus suo contentus beatus

(sc. talis homo ab Ennio describitur atque praedicatur)

V, 1118. 1119

Divitiae grandes homini sunt vivere parce
Aequo animo

praeterea cf. II, 11 sqq. 19; III, 59 sqq.

Vere autem liber atque sapiens est is, qui pectore puro et firmo utitur:

E. trg. 338 sqq. [f. 375 sqq.]

Sed virum virtute vera vivere animatum addecet,
Fortiterque innoxium vocare adversum adversarios.
Ea libertas est, qui pectus purum et firmum gestitat.

trg. 350 [f. 379]

Ut quod factum est futtile, amici, vos feratis fortiter.

(cf. Lucil. v. 656)

Lucr. V, 18 *At bene non poterat sine puro pectore vivi*

43. 44 *At nisi purgatumst pectus, quae proelia nobis*
Atque pericla tumst ingratis insinuandum! e. q. s.

Neque hoc in postremis ducimus ponendum, quod et Ennius et Lucretius mutuam benevolentiam amicitiamque fidelem[2]) egregiis tollunt laudibus: cf. Cic. Laelius 6, 22 *principio qui potest esse vita vitalis, quae non in amici mutua benevolentia conquiescit?*

E. trg. 428 [f. 388] *Amicus certus in re incerta cernitur.*

praeterea cf. sat. 38 [s. 83]; a. 342 [a. 389]; a. 249 [a. 305][3]);

trg. 410 [f. 307], ubi *Fides alma* invocatur.

---

[1]) Cf. Lucil. frg. 1020ª v. 6. Hor. s. I, 1, 92. 106.

[2]) Cf. Cic. de fin. I, 20, 68. 69, II, 25, 80. 81. Zeller, Phil. der Griechen ³ III, 1, p. 459 sqq.

[3]) Ut Ennii morum ingeniique picturam habeas, in memoriam revoca praeclarissimum illum annalium locum vv. 239—55 [a. 294—310 b], ubi poetam Rudinum de se ipso scripsisse L. Aelius Stilo testatur. (Cf. Gellius N. A. XII, 4 sub finem.)

Lucr. I, 140 sqq.

sperata voluptas
Suavis amicitiae quemvis sufferre laborem
Suadet et inducit noctes vigilare serenas.

III, 83 sq. (sc. homines obliti sunt hunc fontem esse curarum) *vincula amicitai | rumpere.*

I, 51 *dona tibi studio disposta fideli.*

Hi igitur sunt loci, quibus uterque poeta quid de poesi sua ingenioque, de rebus philosophis, diis vulgique superstitione, de vitae humanae morumque praeceptis iudicaverit, nos docet. Hic quaerat quispiam, num quid illis, quos supra contulimus, locis, quamvis sint similes, consilio nostro proficiatur et alterum ex alterius exemplo pendere satis pateat. Non sumus nescii, nos aut certa mathematicorum quasi conclusione perspicuam imitationem enucleasse aut in omnibus utriusque poetae versibus allatis verborum quodammodo concentum demonstrasse; immo facile concedimus, quantum aut quatenus Ennius apud Lucretium valuerit, e locis supra collatis vix diiudicari posse, praesertim cum quod ad philosophiam attinet, uterque ex uno eodemque Graecorum fonte hauserit. Attamen cum aperta studiorum communio ingeniique quasi cognatio quaedam inter Ennium et Lucretium intercesse videatur, alter autem alterum summopere admiretur atque veneretur, ex iis, quae supra exposuimus, Lucretium poetae Rudino aliquantum debuisse sine ulla dubitatione affirmemus.

II.

Venimus nunc ad diversas varii generis similitudines exponendas, quibus quid alter poeta debeat alteri, examinemus. Et primum utriusque poetae versus aliquot comparabimus.

Unum quidem versum totum vel leviter commutatum Lucretius ex Ennii carminibus assumpsit:

cf. Lucr. III, 1025 *Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit*
cum Ennii a. 150 [a. 151]

Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit[1]).

---

[1]) Quo in versu memoria dignum est, quod pronomen poss. suus scribitur *sus*; idem autem pronomen ab utroque poeta interdum *μονοσυλλάβως* pronuntiatum esse declarant vv. E. a. 278 [a. 233] *Poeni suos soliti dis sacrificare puellos* et Lucr. I, 1022; V, 420 *Ordine se suo quaeque sagaci mente locarunt.*

Ceteri autem versus, in quibus alterum alterius meminisse putamus, nisi qui me forte fugerunt, hi fere sunt:

Lucr. V, init.

Quis potis est dignum pollenti pectore carmen | Condere —

cf. E. a. 178 [a. 176] *Quis potis ingentis oras evolvere belli?* cuius versus Enniani Vergilius quoque memor fuit, cum Aen. IX, 529 scriberet:

Et mecum ingentis oras evolvite belli.

Lucr. III, 1035 (sc. Scipiadas)

Ossa dedit terrae, proinde ac famul infimus esset.

ita iam Ennius inconstantiam atque vicissitudinem Fortunae depinxerat a. 316 sq. [a. 337 sq.]

— mortalem summum fortuna repente
Reddidit, e summo regno ut famul infimus esset.

L. IV post v. 126 *qui fulmine claro*

Omnia per sonitus arcet, terram, mare, caelum

(ubi Lachmanni comment. ad. IV, 126 p. 222 consulas)

cf. E. a. 532. 533 [dubia 4 p. 139] *qui fulmine claro*

Omnia per sonitus arcet.

L. VI, 944 *Manat item nobis e toto corpore sudor.*

cf. E. a. 399 [a. 463] *Tum timido manat ex omni corpore sudor.*

cf. Lucr. V, 487 *salsus de corpore sudor*;

Verg. aen. III, 175; Ov. met. IX, 173.

Neque dubitamus, quin Lucretius Ennianos locos sive consulto sive inscius imitatus sit, cum scriberet hos versus:

III, 113 *Effusumque iacet sine sensu corpus honustum*

cf. E. a. 134. 135

fusi sine mente | Ac sine sensu ullo iaceant[1]).

II, 987 *Et sapere et doctis rationem reddere dictis*

cf. E. a. 274 [a. 278] *Haut doctis dictis certantes sed maledictis*

V, 394 *Magnis inter se de rebus cernere certant*

cf. E. a. 544 [a. 497]

Olli cernebant magnis de rebus agentes.

III, 834 sq. *Omnia cum belli trepido concussa tumultu*
Horrida contremuere . . .

cf. E. a. 311 [a. 358] *Africa terribili tremit horrida terra tumultu* (cf. Catull. 64, 205).

---

[1]) Quod fragmentum esse Ennianum negavit Lucianus Muellerus (ed. Enn. p. 141).

V, 1227. 1228 (sc. vis venti)

Induperatorem classis super aequora verrit
Cum validis pariter legionibus atque elephantis

cf. E. a. 552 [a. 496]

Cum legionibus quom proficiscitur induperator

His autem utriusque poetae locis etiam illud adiungimus, versus Lucr. III, 1028 *Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt* et Hor. sat. I, 6, 4 *Olim qui magnis legionibus imperitarent* inter se collatos e communi Ennii fonte manasse nobis videri; Enniano enim colore haud dubie sunt inspersi.

Praeterea contendas velim hos utriusque poetae versus non dissimiles:

L. V, 29 *Et Diomedis equi spirantes naribus ignem*[1])
E. a. 588 [a. 602] *funduntque elatis naribus lucem*
L. V, 510 *Principio magnus caeli si vortitur orbis*
E. a. 218 [a. 213] *Vertitur interea caelum cum ingentibus signis*[2])
L. I, 84. 85 (sc. ductores Danaum)

Aram Iphianassai turparunt sanguine foede

E. trg. 125 [f. 176] (sc. videi) *Iovis aram sanguine turpari*
L. V, 999 *At non multa virum sub signis milia ducta*

Una dies dabat exitio

E. a. 297 [a. 291] . . *multa dies in bello conficit unus*

huic autem Ennianae locutioni non solum in Lucretio saepius (cf. V, 95 *una dies dabit exitio.* III, 898. 899) sed etiam in posteris poetis occurrimus, velut in Ovidio, qui am. I, 15, 23. 24

Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti
Exitio terras cum dabit una dies

Lucretii poesin laudat. (cf. Verg. aen. XI, 425.)

Similitudinem quandam interesse facile concedas inter hos versus, quibus uterque caelum aetheremque cf.

E. trg. 227 [f. 187]

O magna templa caelitum, commixta stellis splendidis!

---

[1]) Zingerleins (Ovid und sein Verhältniss zu den Vorgängern . . . Insbruck 1869. II (1871) p. 4) hoc Lucretiano loco neglecto similes Vergilii Ovidiique versiculos enumeravit.

[2]) Voces ipsas Ennii sequitur Vergilius aen. II, 250 *Vertitur interea caelum et ruit Oceano nox.*

Lucr. V, 1204. 1205

. . suspicimus magni caelestia mundi
Templa, super stellisque micantibus aethera fixum

vel tempestatum ordinem cf.

E. a. 406 [a. 471]

Aestatem autumnus sequitur, post acer hiemps fit.

Lucr. V, 737 sqq. 743 sq.

Inde autumnus adit, graditur simul Euhius Euan[1])
Inde aliae tempestates ventique secuntur

v. 747 *Prodit hiemps.*

vel eas partes, e quibus constat mundus, describit cf.

E. trg. 322 [f. 293] sc. Sol

Qui mare, terram, caelum contines tuo cum lumine

L. V, 92 *Principio maria ac terras caelumque tuere* cf. v. 591.

Iam hosce versus comparemus:

E. a. 177 [a. 175]

Quod per amoenam urbem leni fluit agmine flumen

L. V, 271 *. . . inde super terras fluit agmine dulci*

VI, 637 *. . . inde super terras redit agmine dulci*

cf. Verg. aen. II, 782

Inter opima virum leni fluit agmine Thybris[2])

E. a. 303 [a. 273] *Europam Libyamque rapax ubi dividit unda*

L. I, 718 sqq.

magnis anfractibus aequor
Angustoque fretu rapidum mare dividit undans

cf. Catull. 64, 178.

E. a. 462. 463 [a. 510 sq.]

Oscitat in campis caput a cervice revulsum
Semianimesque micant oculi lucemque requirunt

Lucr. III, 654 sqq.

Et caput abscisum calido viventeque trunco
Servat humi voltum vitalem oculosque patentis,
Donec reliquias animai reddidit omnes.

---

[1]) Cf. E. trg. 150 [f. 332] *Tum pariter euhan, euhoe, euhium* (sc. iuvenum coetus iuibat).

[2]) Cf. Macrobii (Sat. VI, 4, 4) ad h. l. adnotationem *agmen pro actu et ductu quodam ponere non inelegans . . . immo et antiquum est, Ennius enim in quinto ait.*

cf. illud fragmentum, quod Ribbeckius (cf. l. l. p. 245 inc. frg. 74) Hecubae Ennianae tribuendum esse recte suspicatur.

Per speluncas saxis structas asperis pendentibus | *Maxumis*

L. VI, 195 *Speluncasque vel ut saxis pendentibu' structas*[1]).

Bergkius autem (l. l. I p. 441), qui Lucretianum versum IV, 544 ita esse legendum bene coniecit:

Et reboat raucum regio taratantara·bombum (sc. tuba)

memorem fuisse Lucretium haud inscite autumat versus Enniani,

a. 452 [a. 537] *At·tuba terribili sonitu taratantara dixit;*

illius autem loci Lucretiani haud scio an meminerit Catullus 64, 261 sqq. cf. Verg. aen. IX, 503. 504.

Ac ne illud quidem omittendum putamus, quod uterque poeta Orci ianuam vel ostium: cf. Enn. Hec. 16

Unde animae excitantur obscura umbra opertae ex ostio
Altae Acheruntis salso sanguine[2]).

Lucr. VI, 762 sq.

Ianua ne Puteis Orci regionibus esse
Credatur, post hinc animas Acheruntis in oras e. q. s.[3])

vel domos inferum similiter depingit

E. trg. 218 [f. 149] *inferum vastos specus*

L. I, 115 *an tenebras Orci visat vastasque lacunas*

hoc autem loco vix dubium est quin Lucretius ipsis Ennianis verbis usus sit; immo hunc poetam si non totos versus, qui usque ad v. 126 insequuntur, attamen eorum voces quasdam vel locutiones ab Ennio ipso duxisse probabile est velut *Acherusia templa, simulacra modis pallentia miris*[4]) (cum praesertim haec eadem verba a Vergilio quoque, (Georg. I, 477)[5]) studiosissimo illo Ennii imitatore, usurpata videamus), *semper florentis Homeri*[6]), *lacrimas effundere salsas*[7]).

---

[1]) Hunc Lucretii versum spectare ad locum quendam Ennianum opinatur Lachmannus comment. ad IV, 126 p. 222.

[2]) Hoc fragmentum Ribbeckius (l. l. p. 245 inc. v. 76) recte in Ennianarum reliquiarum numerum ascripsisse nobis videtur.

[3]) Eodem revocandum est illud Lucretianum I, 122 (sc. Acherusia templa) *quo neque permaneant animae neque corpora nostra.*

[4]) Bernaysius quidem ad I, 123 l. l. p. 13 Ennium opinatur simpliciter dixisse *pallere simulacra* id vero *miris modis* fieri subridentem addidisse Lucretium.

[5]) Cf. aen. I, 354.

[6]) Cf. Lucr. I, 124. E. a. 6 [a. 5].

[7]) Cf. Muellerum (in ed. Enn. p. 4) et Columellam l. l. p. 5.

Ex ea autem descriptione, cuius versiculus in Ennianis fragmentis exstat a. 371 [a. 404]

Isque Hellesponto pontem contendit in alto

dubito an quaedam mutuatus sit Lucretius, cum de Regulo III, 1029 scriberet:

Ille quoque ipse, viam qui quondam per mare magnum
Stravit iterque dedit legionibus ire per altum.

Adde huc utriusque versus similes

E. a. 546 [a. 593]

Contempsit fontes quibu' sese erugit aquae vis

Lucr. III, 1032 *Et contemsit equis insultans murmura ponti*

quos versus Ilbergius[1]) adeo inter se congruere haud indocte arbitratur, ut in simili vel potius in eadem re usurpati fuisse videantur.

Atque hoc recte contendere nobis videmur

Lucretium V, 1303. 1304.

belli docuerunt volnera Poeni | Sufferre

Ennii memoriam recordari, qui a. 212 sq. [a. 221 sq.] ita scripserat:

Ast animo superant atque aspera prima
Volnera belli despernunt.

Lucretius enim, quippe qui Enniana carmina summo studio amplecteretur atque patriae fortunam tempusque iniquum deploraret, civium illorum vere Romanorum, quales tum dirum Hannibalem impugnarant, libenter recordabatur neque raro digressionibus descriptionibusque utebatur, quas e bellis Punicis eorumque scriptore praeclarissimo assumpserat. cf. II, 40 sqq. 323 sqq.; V, 1226 sqq. 1302. 1339.

Etiam illud adiungimus miram quandam sensus cognationem inesse hisce in versibus, quibus uterque poeta stomachum avium rapacium vel ferarum homines dilaniantium cum sepulchro vel busto comparat:

E. a. 141 sq. [a. 138 sq.]

Volturus in spinis miserum mandebat homonem.
Heu quam crudeli condebat membra sepulcro

L. V, 993 (sc. silvas gemitu replebat)

Viva videns vivo sepeliri viscera busto;

quibus versiculis collatis iam abrepti esse videmur ad singulas comparationes, quibus uterque poeta ad orationem quasi stellis illustrandam non raro usus est; quarum partem etiamsi vix diiu-

---

[1]) Cf. huius *Exercitationes criticae.* Progr. Stettin 1855 p. 7.

dices utrum Lucretius suo ipsius ingenio an Epicuro debuerit, tamen non paucas illum ab Ennio sumpsisse facile tibi persuadeas; quo ex numero has attulisse satis habemus.

Ad sagacitatem depingendam et exornandam uterque poeta canes venaticos adhibet:

E. a. 344—346 [a. 373 sqq.]

Sicut si quando vinclis venatica velox
Apta solet canis forte feram sei nare sagaci
Sensit — cf. a. 523 [a. 376]

L. I, 404 sqq.

Namque canes ut montivagae persaepe ferai
Naribus inveniunt intectas fronde quietes
Cum semel institerunt vestigia certa viai,

quam comparationem aliis quoque Romanorum poetis Enniano exemplo non inusitatam fuisse inter omnes constat; cf. Verg. aen. XII, 749; Ov. met. I, 533 sqq.; trist. V, 9, 27 sq.

Fortem autem equum et Ennius et Lucretius in comparatione ponunt:

E. a. 441. 442 [a. 481 sq.]

Sic ut fortis equus, spatio qui saepe supremo
Vicit Olimpia cf. a. 503 sqq. [a. 458 sqq.]

L. III, 7. 8 *aut quid — facere — haedi*

Consimile in cursu possint et fortis equi vis?

Adde quod eandem uterque sumpsit contentionem e ludis Circensibus, ut eorum aviditatem ostenderet, qui novae rei spectandae avidissimi etiam celeritatem arbitrantur molestam esse moram:

E. a. 87 sqq. [a. 82 sqq.]

Expectant vel uti consul cum mittere signum
Volt omnes avidi spectant ad carceris oras,
Quam mox emittat pictis e faucibus currus:
Sic expectabat populus . . .

L. II, 263 sqq.

Nonne vides etiam patefactis tempore puncto
Carceribus non posse tamen prorumpere equorum
Vim cupidam tam de subito quam mens avet ipsa?

eodem autem referendi sunt vv. Enniani a. 95 sqq. M. (Vahl. a. 160 = Müller a. 97).

Neque in illa comparatione, qua corpuscula ex alto delapsa cum sole oriente composuit, Lucretius cf. IV, 199 sq.

Praeterea si quae penitus corpuscula rerum
Ex altoque foras mittuntu, solis uti lux

immemor videtur fuisse versus Enniani concentu quodam verborum similis a. 93 [a: 87]

Exin candida se radiis dedit icta foras lux

qui quomodo sit interpretandus, recte Bergkius declarat l. l. I p. 241.

Sed ut paucis absolvamus, his comparationibus metaphoram illam adiicimus, qua uterque utitur in equo illo ligneo, qui gravidus iam parit:

E. trg. 97 sq. [f. 42 sq.]
. . gravidus armatis equus [1])
Suo qui partu prodigioso perdat Pergama ardua
L. I, 476 sq. *Nec clam durateus Troianis Pergama partu*
Inflammasset equos nocturno Graiiugenarum.

Proximum est, ut de paribus vel similibus versuum finibus disserendum sit; hi enim in utriusque poetae carminibus crebro leguntur. Nec id habemus cur miremur. Veteres enim poetae, si quid semel bene dictum erat, id in suum usum vertere non dubitabant; adde quod vocum Latinarum formae quaedam certo hexametri pedi maxime erant idoneae[2]). Ex quo facile colligi potest, locutiones quasdam vel voces singulas, quas Ennius in hexametri exitu posuerat, in hoc ipso versus pede et aequalium et posteriorum auribus placuisse et rhythmi exeuntis vi atque natura tamquam in commune bonum cessisse; quo factum est, ut Ennii memoriam libenter repeterent posteriores neque aut Lucretius aut aevi Augusti poetae Ennianorum versuum exitus sua in carmina transferre dubitarent.

Eadem igitur verba eandemque alliterationem habes horum in versuum fine:

E. a. 291 [a. 318] *Nunc hostis vino domiti somnoque sepulti*
L. V, 974 *Sed taciti respectabant somnoque sepulti*
I, 133 *. . . . . . somnoque sepultis*

cf. Verg. aen. II, 265 *invadunt urbem somno vinoque sepultam*; illam autem Ennianam locutionem *somno sepultus* in formulae

[1]) Cf. Verg. aen. VI, 515 sq.

[2]) Cf. Zingerle l. l. II, p. 116 et Meyer *Zur Geschichte des griech. und lat. Hexam.* (in *Sitzungsber. der bayer. Akad. phil.-hist. Kl.* 1884) p. 1085 et adnotationem, qua multos Latinorum hexametrorum exitus quasi formulae vim adeptos esse demonstrat.

tamquam vim atque usum abiisse apparet. Neque a vero aberremus, si versibus

E. a. 5 [a. 4] *somno leni placidoque revinctus*

L. IV, 453 sq. *suavi devinxit membra sopore | Somnus*

IV, 1027 *somno devincti*[1])

collatis Lucretium etiam haec Ennii memorem scripsisse dicamus, praesertim cum eandem dicendi formulam etiam Catullus (64, 122), cui Lucretii aequali eadem linguae copia erat, usurparit.

Iam contende vv.

E. a. 30 [a. 67] *Qui caelum versat stellis fulgentibus aptum*

a. 162 [a. 161] *Caelum suspexit stellis fulgentibus aptum*

a. 343 [a. 372] *Hinc nox processit stellis ardentibus apta*

cum Lucretii VI, 357

Autumnoque magis stellis fulgentibus apta[2])

(sc. concutitur caeli domus): vix dubitabis, quin hic hexametri finis ex Ennio fluxerit, cuius vestigia Vergilius quoque in versibus aen. VI, 798; IV, 482; XI, 202 pariter clausis pressit.

Ennium autem, qui annalium versum 165 [a. 144] *in luminis oras* clauserat, hac in locutione eodem in pede posita Lucretio (I, 22)[3]) praeiisse Iac. Bernaysius ad h. l. (l. l. II, p. 3) recte monuit. Eodem pertinent utriusque versus simillime exeuntes:

E. a. 290 [a. 314] *obstipo lumine solis*

L. II, 108 . . . . *et splendida lumina solis*

V, 462 . . . . *radiati lumina solis*

cf. praeterea I, 5. 989; II, 162. 654; V, 981; VI, 1197; Verg. aen. VII, 130; Ov. met. I, 767; trist. II, 325.

Comparemus hosce similes versuum exitus:

E. a. 462 [a. 510] *caput a cervice revolsum*

et L. I, 35 . . . . *tereti cervice reposta*[4])

atque consideremus, complures poetas versus ita claudere, ut

---

[1]) Cf. Ov. met. XI, 238 *somno vincta* (sc. Thetis).

[2]) Cf. huius libri v. 618 *radiis ardentibu' solem* et V, 1428, ubi de veste loquitur Lucretius *purpurea atque auro signisque ingentibus apta.*

[3]) Cf. vv. 170. 179; II, 617; V, 224. 781. Verg. Georg. II, 47. Ad Lucr. II, 557 *pueri . . . visentis luminis oras* cf. Osannum ad Cic. de rep. Gott. 1847 p. 132. Cf. E. a. 118 [a. 118] *intra luminis oras.* Substantivo autem *ora* significatur, quod nos dicimus *Bezirk*; cf. E. sat. 3 [s. 5] *aetheris oras* sc. contemplor cum Lucr. V, 475. 656 sq. *per oras aetheris*; IV, 215 *aetheris ex oris.*

[4]) Cf. Serv. ad Verg. aen. I, 26 (Vahl. E. p. 178 inc. XXVII [inc. XV p. 137]) *repostus et porgite de Ennio transtulit* et Lucr. III, 346 *reposta.*

vocem *cervice* in penultimo hexametri pede positam verbum cum *re* còmpositum sequatur: facile hic usus Enniano exemplo et Lucretio et ceteris poetis[1]) videtur probatus esse. Quin etiam hanc totam locutionem *tereti cervice reposta*, etsi certis documentis demonstrare nequimus, ex eo libro Ennii, quo hic Romae originem narraverat, Lucretium in suum usum vocavisse suspicamur[2]).

Magna vero ac paene infinita est multitudo earum similitudinum, quas uterque poeta in fine versus locavit; ita habes ablativum *turbine* in paenultimo pede E. a. 553 [a. 360], Lucr. I, 273. 279. 294; V, 217. 368. 624. 632. 1231 ac saepius, et in eodem versiculi loco substantivi *impetus* formas quasdam E. a. 379 [a. 413]. 539. [a. 507], Lucr. VI, 128. 153; V, 200; II, 330. multisque aliis locis.

Sed ne ligna in silvam ferre videamur, ceteris omissis hos paucos versuum Lucretianorum fines adiungemus, qui nescio utrum omnes Ennianae memoriae debeantur an unus alterque cum poeta Rudino fortuito congruant:

L. IV, 711	. . . . *clara consuetum voce vocare*
cf. E. a. 51 [a. 43]	*blanda voce vocare*[3])
L. II, 365	*curaque levare*
cf. E. a. 339 [a. 386]	*curamve levasso*
et Hor. s. II, 5, 99	*curaque levarit*,
Ov. met. V, 500	*curaque levata*
L. IV, 502	*rationis egentem*
E. a. 587 [a. 590]	*quem non virtutis egentem*
cf. Lucr. III, 44	*rationis egere*
Verg. aen. XI, 27	*quem non virtutis egentem*
	343 *nec vocis egentem*
Ov. met. XV, 150	*rationis egentes*
L. V, 63	*quem vita reliquit*
E. a. 52 [a. 44]	*me somnus*[4]) *reliquit*

[1]) Cf. Zingerleium l. l. II, 7 sq. qui variorum poetarum versiculos similiter exeuntes industrie collegit.

[2]) Servius ad aen. VIII, 631 (633 *tereti cervice reflexa*) totum hunc locum Ennianum esse commemorat. Cf. Cic. Arat. in libro qui est de nat. deor. II, 42, 107 s. f. . . . *tereti cervice reflexum*.

[3]) Aliorum poetarum versus eadem ratione exeuntes inter se contulit Zingerleius l. l. II, p. 3.

[4]) Hunc morem vocabula in fine littera *s* truncandi notum est saepe Ennium, Lucilium (cf. vv. 127. 390. 476. 999. 1153) Lucretium (velut I, 159.

cf. Verg. aen. VI, 735; Ov. met. XI, 327.

L. II, 993 . . . *terra recepit*

E. a. 35 [a. 15] . . . *terra recepit*

L. I, 3 . . . *terras frugiferentis*

E. a. 479 [a. 605] . . . *terrai frugiferai*[1])

quem Lucretiani versus exitum, quamquam adiectivi forma leviter mutata est, ex Ennii memoria profectum esse eo rectius statuas, quod prisci Latinorum poetae voces quinque syllabarum in versuum fine raro ponebant, aspernabantur posteri. cf. Meyerum l. l. p. 1040, qui in Ennianis hexametris versus ita exeuntes viginti, triginta tres in Lucretii libro sexto numeravit.

L. I, 923 *Percussit thyrso laudis spes magna meum cor*

E. a. 374 [a. 402] . . *quem credidit esse meum cor*

(sc. suasorem suum)

hoc est *quem ego credidi.* cf. Hom. Il. II, 851 *Πυλαιμένεος λάσιον κῆρ.* XVI, 554 *Πατροκλῆος λάσιον κῆρ.* Simili periphrasi e Graeco repetita Ennius pro ipsa Egeria dicit a. 122 [a. 125] *suavis sonus Egeriai*, pro superbo Poeno a. 279 [a. 320] *iniqua superbia Poeni*, non multo secus atque Lucretius pro ipso Democrito III, 371; V, 622 *sancta sententia Democriti*[2]). Eodem autem verborum circuitu usus est uterque poeta hisce in versibus: E. trg. 315 [f. 286] *vim taurorum*, a. 546 [a. 593] *aquae vis,* Lucr. I, 271; V, 1226; VI, 431. 436 atque saepius *venti vis* pro ipso vento. III, 8. 764 *fortis equi vis*; VI, 1222 *fida canum vis*; III, 296 *vis violenta leonum* cf. V, 28. 397. — Ennius a. 423 [a. 488] *spiritus Austri* pro Austro, pro Cauro Lucretius VI, 135 *flamina Cauri.*

Sed ut ad propositum redeat oratio, hos quoque versuum exitus recte comparari posse existimamus:

L. I, 728 *virum vi*

II, 326 *virum vi*

E. a. 280 [a. 532] *virum vis*

---

186. 838; VI, 550. 618), alios vetustiores Romanorum poetas secutos esse, singulis locis Catullum (116, 8) et Vergilium (aen. I, 237. ed. Ribb. Lips. 1875).

[1]) De hac genetivi forma vide Altenburgium (De usu antiquae locutionis in Lucr. carm. de rer. nat. obviae. Schleusing. Progr. 1857 p. 6). Prollium (l. l. p. 6), Kuehnium (Quaestt. Lucr. grammaticae et metricae. Vratisl. 1869 p. 6).

[2]) Cf. Lucil. v. 1174 *Valeri sententia dia* eiusque sectatorem Horatium sat. I, 2, 32) *sententia dia Catonis.*

ceterum monosyllabo *vi* uterque hexametrum perlubenter clausit cf. E. a. 29 [a. 98] *manus vi.*
a. 168 [a. 165] *summa nituntur opum vi*[1])
a. 277 [a. 281] *. . . solida vi*
Lucr. V, 252 . . *pedum vi* I, 13; III, 29 . . . *tua vi*; II, 185; V, 206 . . *sua vi*; III, 159 . . *animi vi.* De hexametris autem in monosyllaba desinentibus plura exposuerunt Meyerus l. l. p. 1035 et Buechelius[2]); hic Lucretium monosyllabis clausulis nihil gravitatis tribuisse recte vidit.

L. V, 393 *cernere certant*
VI, 509 *mittere certant*
E. a. 425 [a. 490] *. . . extollere certant*
a. 96 M. (ed. Baehr. frg. 316) *pervincere certant*
cf. Verg. aen. VI, 178 *educere certant*
L. III, 999; V, 1272. 1359 *durum sufferre laborem*
I, 141 *. . quemvis sufferre laborem*
E. a. 405 [a. 432] *. . subferre laborem*
cf. Hor. s. I, 4, 12 *piger scribendi ferre laborem*
Verg. aen. XII, 177 *perferre laborem.*
L. IV, 619 *siccare coëpit*;

eandem diaeresin, si Muelleri editionem sequimur, habemus in v. E. a. 536 M. . . *retinere coëpit*, qui versus in ed. Vahl. a. 555 ita desinit: . . . *protendere coepit* cf. Lachmanni comm. ad Lucr. IV, 619; ceterum satis constat, in Lucretiano carmine diaeresin saepius inveniri cf. I, 60 *suëmus*; 216 *dissoluat*; IV, 1157 *suadent*; de diaeresi qui plura vult cognoscere, adeat Muelleri egregium d. r. m. librum, p. 262.

Haec fere habuimus, quae de paribus utriusque poetae hexametris, similibus versuum finibus, compluribus aliis similitudinibus exponeremus. Qua in quaestione non veremur ne quis nos nimia sagacitate aut spinis disserendi usos esse insimulet; multos enim utriusque poetae locos, qui primo obtutu aliquam similitudinis speciem praebere videbantur, omisimus. Illud vero ex cunctis rebus, quas supra exposuimus, — utinam ne quis nos ex unaquaque similitudine dilucidissimum expressae imitationis exemplum odorari arbitretur — satis percipitur: Lucretius non

---

[1]) Cf. Verg. aen. XII, 552 . . . *summa nituntur opum vi.*
[2]) De re metrica Lucr. progr. Bielefeld 1874 p. 4 et 5.

modo singulas comparationes locutionesque, quae exemplo poetae Rudini fixae erant, huic debuit sed etiam versus Ennianos, ut qui legendo recitandoque celebrarentur et ad posteritatem quasi commune Romanorum bonum propagarentur, compluresque Ennii clausulas, quae et sibi ipsi et aliis poetis numerose et iucunde cadere viderentur, in memoria tenuit atque sive certo imitandi consilio sive quod inscius in eam memoriam et recordationem inciderat, libenter carmini suo intexebat.

Deinceps, ut erat propositum, de vocabulorum quorundam raro vel proprio apud utrumque poetam usu dicatur certaeque vocum inter se copulationes proferantur, quas Ennio probatas Lucretius recepit. Qui locus sane est lubricus; summam igitur nobis diligentiam atque cautionem adhibendam esse rati non omnes voces ab utroque pariter vel similiter usurpatas enumerabimus.

Atque primum quidem de nominibus substantivis, quorum in usu apud alterum alterius vestigia cognosi posse putamus, pauca expromamus.

Aeacidas. cf. E. a. 186 [a. 181]. 187 [a. 206] a. 275 M. pariter patronymica in modum Graecorum formavit Lucretius III, 1034 *Scipiadas*[1]), I, 26 *Memmiadae*

aequora campi (etiam in iisdem versus pedibus)

E. a. 140 [a. 137] *tractatus per aequora campi*

L. III, 1002 *raptim petit aequora campi* cf. Verg. aen VII, 781.

aeris mare Lucr. V, 276; similiter E. trg. 31 (f. 431) *caeli fretus*

aetas diei. cf. E. a. 401 [a. 433]

Postremae longinqua dies[2]) · *confecerat aetas.*

Lucretius (I, 557. 558 *longa diei infinita aetas*); his in vocabulis *aetas diei* coniungendis haud dubie Ennii vestigia persequitur.

aethra. E. a. 418 [a. 442]. L. VI, 467

copia fit. E. a. 437 [a. 456]; L. V, 359; VI, 829.

coelus; huic voci uterque dedit genus masculinum. cf. E. a. 474 [a. 524] *caelus profundus*; L. II, 1097. Ceterum illud obiter commemoremus priscos Latinorum poetas multis vocabulis aliud atque posteros genus tribuisse. Cf. subst. *pulvis*, quod Ennius ter a. 286 [a. 312]. 319 [a. 340]; trg. 31 [f. 431] genere feminino

---

[1]) Cf. Lucil. v. 1014. Hor. sat. II, 1, 72. 1, 17. Muellerus De re metr. p. 389.

[2]) Eodem modo quintae, quae dicitur, declinationis genetivum formavit Lucretius IV, 1083 *rabies*; uterque *fidēi* cf. E. a. 342 [a. 389], Lucr. V, 102.

usurpavit. E. a. 541. 542 [a. 608] *sublatae lapides*; a. 537 [a. 529] *metus ulla.* Lucretius: *finis* fem. velut I, 107. 976; II, 1116; V, 1213; *funis* fem. gen. II, 1154 *cinis* fem. IV, 926 (cf. Gellius N. A. XIII, 20).

corpus; similem verborum circuitum[1]) uterque ad aves significandas adhibet:

E. a. 96. 97 [a. 90 sq.] *corpora sancta*[2]) | *Avium*
L. II, 1083 *corpora cuncta volantum*
878 *corpora pennipotentum*

cf. II, 1152; V, 789; praeterea avium periphrasin legimus hanc in E. a. 84 [a. 79] *genus altivolantum,* unde haud scio an arcessiverit Lucretius V, 801. 1039. 1078; VI, 1216 *genus alituum* (cf. E. a. 10 [a. 122] *genus pinnis condecoratum*).

Dictionem *divumque hominumque*, quam Ennius e Graeco *πατὴρ ἀνδρῶν τε ϑεῶν τε* Latine reddiderat, huius exemplo in formulae quasi vim abiisse verisimile est: cf. E. a. 254. 566. 567 [a. 310 b. 219. 220], Lucr. I, 1; VI, 94; praeterea cf. E. a. 179 [a. 216] cum Verg. aen. X, 2; I, 229. 254; Ov. met. XIV, 807.

fluctus; per imaginem dictum E. trg. 293[3]) *fluctus verborum* L. VI, 74; III, 298 *fluctus irarum,* cum qua dictione non discrepat Ennianum illud a. 464 [a. 581] *irarum quadrigas.*

genetrix; sub genetricis nomine Romani Venerem magnis colebant honoribus cf. E. a. 53 [a. 45]; L. I, 1, Ov. trist. II, 261 sq.

iter; praeter hanc formam habes priscam quoque *itiner* E. trg. 383 [f. 85], Lucr. VI, 339.

lychni.

E. a. 328 [a. 344] *lychnorum lumina bis sex*; L. V, 295 *pendentes lychni*; praeterea cf. Inc. libr. rell. LIX [inc. XXI p. 137] et Lucr. IV, 544, quibus in locis uterque nomine substantivo *bombus* utitur cf. Catull. 64, 263. — Ennius igitur, ut cetera exempla taceam, multis Graecorum vocabulis assumptis tamquam arbori linguae Latinae stirpes alieni generis tam penitus inseverat, ut illa, etsi Latinis verbis uti licuit, sicuti satis sermone Latino trita posteri poetae etiam suum in usum converterent.

Iam contende hosce versus:

---

1) Cf. supra p. 28.
2) Pariter clauditur versus Lucretianus I, 1015 *divom corpora sancta.*
3) M. fab. 264 *fremitus verborum.*

E. a. 3 [Naev. 2 ed. Enn. Muell. pag. 157][1])

Musas, quas Grai memorant, nos Casmenarum

a. 23 [a. 10] *Est locus Hesperiam quam mortales perhibebant*

a. 227 [a. 224] *sophiam sapientia quae perhibetur*

a. 149 [a. 150] *Vento, quem perhibent Graium genus aëra lingua*

a. 393 [a. 428] *Arcus ubi aspicitur, mortalibus quae perhibetur*[2])

cf. Epich. 8 [sat. 41]

Lucr. IV, 132 *in hoc caelo, qui dicitur aër*

369 *Aër id quod nos umbram perhibere suëmus*

VI, 701 sq. *crateres nos quod fauces perhibemus et ora*

III, 100 *harmoniam Grai quam dicunt*[3])

cf. II, 629 sq; I, 830 sq; VI, 298. 424. 908.

quibus versibus inter se collatis hoc recte statuimus: Lucretius etsi patrii sermonis egestatem novandis verbis tollendam sibi proposuerat, tamen Ennii morem secutus non raro Graeca Latinis verbis ita immiscuit[4]), ut eorum explicationem quandam Latinam adderet et cum vulgaribus componeret, idemque saepius Latina vocabula in Graecum transtulit sermonem; huic autem mori peregrinas voces in patrium sermonem transferendi praeter Lucretium alii quoque Latinorum poetae velut Vergilius[5]), Valerius Flaccus, Ovidius[6]) indulserunt. (Cf. Prollius l. l. p. 5 sq.)

marmor de mari usurpatum

E. a. 377 [a. 409]

Verrunt extemplo placidum mare marmore flavo

L. II, 766 sq.

ut mare — Vertitur in canos candenti marmore fluctus

cf. Verg. aen. VII, 28; X, 208.

puellus pro *puer*

E. a. 278 [a. 233], L. IV, 1252. Cf. Lucil. vv. 127. 365.

rota candida i. e. solis

E. a. 548 [a. 573] cf. Lucr. V, 432. 564; cf. Cic. Arat. 281

rota fervida solis

---

[1]) Quod fragmentum a C. O. Muellero rectius Ennio quam Naevio poetae a Luciano Muellero datum esse Baehrensius (Frg. poet. Rom. p. 137) scite opinatur.

[2]) Sc. Iris; cf. Muellerum Quintus Ennius p. 205 sq.

[3]) Cf. Lachm. comm. p. 145 sq. ad III, 93.

[4]) Cf. Bergkium l. l. p. 435.

[5]) Cf. aen. I, 726.

[6]) Cf. Pacuv. v. 89 Ribb. et Afranii versum *Sophiam vocant me Graii, vos Sapientiam* (Gell. N. A. XIII, 8).

sanguis; pro hac usitata forma etiam *sanguen*: Enn. trag. 46. [fab. 240]; 228 [fab. 188]; a. 117 [a. 117]; Lucr. I, 837. 853. 860.

sola terrae, quam dicendi formulam Lucretius haud dubie ex Ennio repetivit cf. E. a. 443 [a. 62], Lucr. I, 212; II, 592; V, 211; V, 1289. 1295.

templum[1]); Acherusia templa

E. trg. 107 [f. 177] *Acheruntsia templa alta Orci*

L. I, 120 . . *Acherusia templa* (cf. III, 25 et 86).

caeli templa

E. a. 50. 66 sq. [42. 69 sq.]

Unus erit quem tu tolles in caerula caeli | Templa[2])

trg. 421 [f. 399] *templa caeli summa*

L. I. 1064; II, 1001 *id rurum caeli rellatum templa receptant* conferendi sunt vv. I, 1014; V, 490 sq.; VI, 286. 644. 1228; non multo secus VI, 670 *caelestia templa.* Neque hac in caeli descriptione[3]) Ennius Lucretiusque inter se distant:

E. a. 561 [a. 554] *divum domus altisonum cael*

L. II, 1110 . . *caeli domus.* VI, 358

(cf. Verg. Aen. X, 1 *domus omnipotentis Olympi*) et ad caeli cavationem depingendam similem adhibent imaginem:

E. trg. 423 [f. 441] *caeli ingentes fornices*

L. IV, 171 *magnas caeli cavernas;*

praeterea conferri potest Lucr. IV, 417 *caeli hiatus* cum Ennii *caeli palatum* inc. frg. XIX p. 177 [inc. XXV p. 138].

Trivia; hanc deam uterque eandem atque Dianam esse vult:

E. trg. 317 [f. 288]; Lucr. I, 84.

vagor pro *vagitus*

E. a. 408 [a. 473] *vagore volanti*

L. II, 576 . . *miscetur funere vagor*

vultus plur. neutr. heterogen.

E. a. 536 [a. 583] *vostraque volta*

L. IV, 1213 *vulta parentum.*

---

[1]) De huius vocis vi interpretanda cf. Forbigerum ad Lucr. I, 121. Nissenum, *Das Templum.* Berol. 1869 p. 2 sq.

[2]) Cf. Ov. met. XIV, 814; fast. II, 487. E. a. 531 [a. 572] *templum magnum Iovis altitonantis.* Aesch. Pers. v. 363 *τέμενος αἰθέρος.*

[3]) Quam varie caelum circumscripserit Lucretius, scite exponit Spangenbergius, De T. Lucr. Cari tropis, diss. Marb. 1881 p. 40.

Nunc de singulis adiectivis, quae quidem uterque poeta pariter adhibuerit, pauca expromamus.

altitonans E. a. 531 [a. 572], Lucr. V, 745.

bonus pro *magnus* usurpatum

cf. Lucr. VI, 1249

Inde bonam partem in lectum maerore dabantur

Porph. ad. Hor. s. I, 1, 61 *bona* nunc pro *magna* dictum ut saepe Ennius et alii veteres; idem ad Hor. c. III, 24, 50 *bene* pro valde positum, ut apud Ennium frequenter cf. E. a. 33 [a. 105] *foedusque — bene firmum*, 239. 517 [294. 155]. Lucr. V, 708 *pleno bene lumine fulsit.*

caerulus de caelo dictum

E. a. 50 [a. 42]. 66 [69]; Lucr. I, 1090; VI, 96 *caerula caeli*, qua cum dicendi consuetudine si composueris V, 772 *caerula mundi.* E. a. 505 [a. 460] *caerula campi*, non alieno loco mentionem facere videbimur Graecae illius constructionis, qua uterque adiectivorum neutrum in plurali positum cum substantivorum genetivis coniungit cf. Lucr. I, 86 *prima virorum* (*τὰ πρῶτα τῶν ἀνδρῶν*) VI, 809 *terrai abdita.* II, 1100 *caeli serena.* I, 340 *sublima caeli.* 278 *nubila caeli.* E. trg. 131 [f. 320] *cava caeli.* a. 92 [a. 75] *infera noctis.* Sed ut ad id, unde deflexit oratio, revertamur, *caerulus* adiectivo uterque etiam de mari utitur:

Lucr. V, 481 *ponti plaga caerula*

E. a. 144 *i caerula prata*, quod fragmentum Muellerus non male ita supplevit *ponti caerula prata* [a. 146]; huc adde a. 378 [a. 410]

Caeruleum spumat sale . .

canus; de maris fluctibus

E. a. 476 [a. 566] *per aequora cana*

L. II, 767 *in canos — fluctus*

crassus, adi. cum substantivo *caligo* coniunctum

E.[1]) *crassa caligo inferum*

L. VI, 461. 691.

dius, adi. Ennius primus dactylicam in poesin intulerat[2]), unde assumpsit Lucretius, cf. Lachm. comm. ad L. IV, 211. cf. E. a. 18[3]) . . *pulcherrima dium*; 22 [a. 23] *dia dearum*, cf. a. 56. 115 [47. 115]. Lucr. I, 22 *dias in luminis oras.* II, 172; V, 1389.

---

[1]) Ennio haec verba recte tribuit Ribbeckius (Trag. Rom. frg. p. 245) v. 75.

[2]) Cf. Muellerum Qu. Ennius p. 206.

[3]) Quem versum ita exire statuit Muellerus a. 19 . . . *pulchra dearum.*

daedalus, adi. e Graeco repetitum, ex quo sermone utrumque verba duxisse supra p. 31 sq. vidimus.

cf. E. inc. XXI [inc. XXVII p. 138] *daedala Minerva*. cf. Lucr. I, 7. 228, *daedala tellus*. II, 505 sq. *daedala carmina*. IV, 549 *verborum daedala lingua* V, 234. cf. Verg. Aen. VII, 282.

fretus, adi. cum subst. abl. *virtute* coniunctum iisdemque in pedibus positum E. a. 537 [a. 526]; L. V, 966.

Graius, adi. uterque cum subst. *homo* coniunxit, ut nationem significaret atque premeret:

E. a. 183 [a. 179] *Navus repertus homo Graio patre Graius homo*[1]) *rex*, id quod de Pyrrho intellegendum est.

L. I, 66 *primum Graius homo mortalis tendere contra* (significatur Epicurus).

inclutus, nobilis, clarus, quod adiectivum Naevius (cf. Naev. bell. Poenic. 31 M.)[2]) et Ennius e Graeco *κλυτός* repetiverunt, et de diis et de hominibus Ennius et Lucretius dixerunt.

cf. E. a. 147 [a. 154] de Iove dictum a. 164. 494 [a. 134. 424]; Lucr. I, 40 (de Venere); III, 10 (de Epicuro); V, 8.

intempestus, noctis epitheton

E. a. 106. 172 [a. 21. 171]; L. V, 986.

lacuatus. E. trg. 121 [f. 172] *Tectis caelatis lacuatis*.

L. II, 28 — *laqueata aurataque tecta*[3])

cf. Hor. c. II, 16, 11 sq.

laetus at utroque de segetibus vel campis dictum

E. a. 487. 505 [a. 518. 460]. Lucr. I, 15; II, 594. 1157. cf. Verg. Aen. II, 306.

laniger; adi. ab utroque pecudi datur

E. s. 43 [sat. 78]. Lucr. V, 866. cf. II, 318 661. I, 887.

liquidus, adi. cum aethere vel aetheris oris coniunctum

E. s. 3 [s. 5]. Lucr. V, 500. cf. Ov. met. I, 67 sq.

magnus; adi. *de mari* non solum, ut saepissime, at utroque ornatus causa dictum, sed etiam ut significetur *mare turbidum* vel *procellosum* (cf. Graecorum *μεγάλη θάλαττα*)

---

[1]) Cf. E. a. 486 [a. 322]. 512 [a. 527] *Romanus homo* Vergiliumque vestigia Ennii prementem Aen. X, 720 *Graius homo*.

[2]) Ed. Enn. p. 162.

[3]) Quo in versu Lachmannus (comment. ad h. v.) Lucretium scripsisse pro *aurata*, *ornata*, Bergkius (l. l. I, 460) *arcuataque* coniecit.

E. a. 425 [a. 490]. *Indu mari magno fluctus extollere certant* cf. sot. 3 [sat. 62].

Lucr. II, 1 *Suave mari magno turbantibus aequora ventis* (cf. II, 553; VI, 615. 144; III, 1029.)

multus; hac in verborum copulatione, quae alliterationis vi etiam ab aliis poetis in usum recepta est:

E. trg. 42 [f. 236] *multis* sum *modis* circumventus

L. I, 341 . . *modis multis.* 726 ac saepius.

musaeus a. 325 M

tibi musaeum pangit melos[1])

L. II, 412 *musaea mele.* I, 934 = IV, 9 *musaeo lepore.* I, 947 *musaeo melle.*

omnipotens[2]); etiam hoc Iovis epitheton ornans ex Enniano fonte in Lucretii aliorumque posteriorum poetarum carmina fluxisse manifestum est.

cf. E. a. 446 [a. 357]. Lucr. V, 399.

perennis, adi. fluviis tribuitur.

E. s. 13 [sat. 12] *amnes perennes*

L. V, 463 *fluvii perennes.*

permixtus, adi. ab utroque cum subst. *caedes* copulatur. Collatis enim versibus Lucr. III, 643; V, 1313 *permixta caede calentes* (hoc dictum de leonibus ad pugnam destinatis) et Catull. 64, 360 *Alta tepefaciet permixta flumina caede* (sc. Achilles ad Scamandri undam pugnans) Jessenum sequimur, qui illam locutionem, ut quae Ennii redoleret memoriam, et a Lucretio et a Catullo e descriptione aliqua pugnae Enniana derivatam esse scite colligit[3]).

quadrupes. E. a. 237 [a. 249] trg. 219 [f. 130]; Lucr. VI, 757; II, 536; V, 1202.

rapax, adi. cum unda fluviisque coniunctum. E. a. 303 [a. 273]; Lucr. I, 17; V, 341 sq. cf. Ov. met. VIII, 551.

---

[1]) Cf. Muellerum d. r. m. p. 391 et Qu. Ennius p. 205.

[2]) Similiter finxerat Ennius a. 188 [a. 207] *bellipotens* Lucretius II, 878; V, 789 *pennipotens*; I, 33 armipotens.

[3]) *Ueber Lucrez und sein Verhältnis zu Catull und Späteren* Kiel 1872 p. 11. Ceterum contra Jessenum moneamus, Catullum in carminibus suis posterioribus nonnumquam Lucretii aequalis esse memorem. Cf. Munroum ed. Lucr. huiusque adnotationes ad III, 57 p. 476sq. et p. 390 ad I, 631.

salsus, adi. non modo de mari vel aequoribus. cf. E. a. 453; trg. 145 [a. 141. f. 328.]; com. 2 [sat. 32].

Lucr. III, 493. 784 (cf. Lachm. comm. ad h. l.) ac saepius sed etiam translate de lacrimis uterque dixit; nam et locutionem *lacrimas effundere salsas* (cf. Lucr. I, 125 supra p. 22) ex Ennio fluxisse veri non dissimile est. cf. Serv. ad Verg. II, 173 *salsus sudor . . Hoc autem Ennius de lamis dixit*; pro lamis autem lacrimis esse coniiciendum Vahlenus[1]), Bergkius[2]), Muellerus[3]) coniectura probabili statuerunt.

saucius cum ablativo *amore* coniunctum

E. trg. 288 [f. 259] *Medea . . amore saevo saucia.* L. IV, 1048 *mens unde est saucia amore.*

serenus, noctis epitheton ornans.

E. a. 388 [a. 419]. Lucr. I, 142. cf. Verg. Georg. I, 426.

suaviloquens, ab utroque in fine versus positum.

E. a. 304 [a. 348] *Additur orator Cornelius suaviloquenti* (sc. ore)

L. I, 945 sq. . . . *volui tibi suaviloquenti Carmine Pierio rationem exponere nostram.* cf. IV, 20 sq.

quod adiectivum Ennium ex Homero (Il. I, 248 ἡδυεπής) in sermonem Latinum transtulisse commemorat Gellius N. A. XII, 2; alio autem loco (IV, 180. 909) Lucretius ex nomine adiectivo et stirpe verbali finxit *suavidicus.*

superus, adi. cum subst. *lumen* coniunctum et in eodem versus pede ab utroque positum.

cf. E. a. 106. [a. 21] *Cum superum lumen nox intempesta teneret.*

L. VI, 856 *Cum superum lumen tanto fervore fruatur.*

tardus, proprium senectutis adiectivum.

E. trg. 393 [f. 299] *tarda in senecta*

L. I, 414 *tarda . . senectus.*

cf. Verg. Aen. IX, 610; Hor. s. II, 2, 88; Ov. trist. IV, 8, 23; Tibull. II, 2, 19; Jessenus l. l. p. 15.

tener, aurae epitheton.

---

1) Inc. rell. XXX, p. 178.

2) L. l. I, p. 260.

3) Cf. supra p. 22. Muellerus quidem versum Ennii (Vahl. trg. 168 . . . *lavere lacrimae salsum sanguinem* ita emendavit: *lavere lacrimae salsae sanguinem* [f. 349].

E. a. 21 [a. 22] *per teneras caliginis auras*

L. I, 207 *in teneras proferrier auras.* cf. II, 146; Verg. Aen. IX, 699; Ov. trist. III, 8. 7.

tremulus, vel artuum vel luminis adiectivum. cf. E. a. 36 [a. 28] *tremulis — artubus*

Lucr. III, 7 *tremulis — artubus.*

E. trg. 332 [f. 363] *Lumine sic tremulo*; Lucr. IV, 404 *tremulis ignibus.* cf. V, 697 *tremulum iubar ignis* et Verg. Aen. VII, 9 *tremulo sub lumine.*

validus; hoc adiectivum cum ablativo *viribus* ita coniunctum, ut praepositio *cum* haud ineleganter abundet:

E. a. 301 [a. 339] *varia validis cum viribus luctant*

L. I, 287 *validis cum viribus,* etiam sine illa praepositione *validis viribus*[1]); I, 971; III, 451. 494; V, 1098. Verg. Aen. II, 50.

Sed hic non alienum esse videtur aliud exemplum illius antiquae dicendi abundantiae proferre:

E. a. 477 [a. 361] *Cum magno strepitu Volcanum ventus vegebat*

Lucr. I, 275. 276 *perfurit acri cum fremitu . . ventus.*

Praeterea cf. E. a. 80 [73] *curantes magna cum cura*; trg. 253 [f. 55] *negotioso in negotio*; 256 [f. 58] *otioso in otio*; 283 [254] *nominatur nomine.* L. III, 993 *anxius angor*; I, 826 *sonitu sonanti*; I, 343 *privata carere.*

E. trg. 144 [325] *rursus reciprocat*

a. 298 [a. 292] *rursus recumbunt*

sot. 5 [s. 65] *retro recidit*

Lucr. II, 957 *rursus revocare.*

velivolus, navium epitheton

E. a. 381 [a. 412]; trg. 111 [f. 185]; L. V, 1442.

Ac ne a proposito ad alia aberremus, illud breviter transeamus, quod uterque nonnumquam superlativo antiquam formam dedit (cf. E. a. 448. 579 [a. 505. 504] *celerissimus.* Lucr. III, 199 *parvissimus*), forma *acer* vel *celer* etiam genere feminino usus est (cf. E. a. 406 [a. 471] *acer hiemps.* Lucr. IV, 160 *celer origo*), antiquo more pronomen possessivum cum nomine adiectivo coniunxit, cf.

---

[1]) De vi alliterationis, cui prisci Latinorum poetae enixe dabant operam, plura exposuerunt cum alii tum Muellerus De re metr. p. 453 et Munrous l. l. p. 325.

E. a. 55 [a. 51] *tuo cum flumine sancto*
52 [a. 44] *aegro cum corde meo*
Lucr. I, 38 *tuo recubantem corpore sancto*
413 *meo — diti de pectore*
IV, 394 *suo corpore claro.*

Quae omnia, cum non tam ad Lucretianam Ennii imitationem quam ad antiquam locutionem, qua saepissime usus est Lucretius, pertineant, hic tantummodo perstrinxisse satis habemus. Neque id magno opere premendum arbitramur, quod pronomini *ille* uterque nonnumquam veterem illam formam ascivit, quae in prima syllaba pro *i* sumpsit *o*[1]); huic enim formae cum omnes fere veteres tum posteri poetae Latini studebant. Omnes autem satis intellegere confidimus, Lucretium ab Ennio permulta epitheta, quibus hic orationem largiter ac semper fere apte ornaverat, sua in carmina transtulisse.

Et de adiectivorum pari vel simili apud utrumque poetam usu satis hoc loco dictum est. Sequitur, ut doceam etiam in verborum vel raro vel proprio usu alterum alterius vestigia frequenter sequi; qua in re etsi multa verba colligi possunt, paucis tamen utemur[2]).

balare. Huius verbi participio praesentis uterque absolute eodemque verborum circuitu usus pro ovibus dixit *balantum pecudes*; adde quod haec verba uterque iisdem in versus pedibus collocavit et in participio pro vulgari genetivo in *ium* exeunte breviorem admisit:

cf. E. a. 192 [a. 177] *Balantum pecudes*
Lucr. II, 369 *Balantum pecudes.*

candere; Enniano exemplo et hoc verbum et adiectivum *candidus* de sole eiusque lumine dictum in posteriorum poetarum usum venisse coniectura est probabilis.

E. trg. 367 [f. 364] *cava caerula candent*
cf. trg. 367; a. 93. 157. 548 [f. 222; a. 87. 158. 573].
Lucr. V, 721; VI, 1197 *candenti lumine*; IV, 315 *candens aër.*

---

1) Cf. E. a. 34 [a. 66]. 122 [125]. 307 [351]. 544 [497]. 604 [467]. Lucr. I, 672; II, 64; IV, 177 atque saepius.

2) In altera huius disputationis particula disseremus de pari apud utrumque tmesis usu. Cf. E. a. 373 [a. 401] *Annibal — de me hortatur*, a. 487 [a. 518 tmesi Muelleri coniectura sublata] Deque *totondit.* Lucr. I, 452 *seque gregari.* IV, 832 *inter quaecumque pretantur.* Cf. Munroi comm. ad I, 452.

cluere; E. a. 4 [a. 3]; Lucr. I, 119. cf. supra p. 10.

dare[1]); ita fere a Lucretio usurpatum, ut faciendi vim aequet, qui usus et ex prisca Latinorum lingua et ex Ennio videtur manasse. cf.

E. trg. 25 [f. 126]

Ubi fortuna Hectoris nostram acrem aciem inclinatam dedit; similiter apud Lucretium V, 1329

Permixtasque dabant equitum peditumque ruinas

cf. I, 288 *dare stragem*, II, 119 *dare pausam*, quacum dictione conferendus est versus Ennianus sat. 11 [sat. 10] *Et Neptunus saevus undis asperis pausam dedit* cf. praeterea Lucr. I, 819; II, 1145; V, 347; *sonitum dare*: E. a. 447. 396 [a. 538. 464]; Lucr. VI, 108. 131. 136. 157. 170; Verg. Aen. II, 243. Aliam dandi verbi vim habes in E. trg. 378 [f. 88] *leto dare*; Lucr. VI, 1144 *morti dare*.

durare, intransitive positum

E. trg. 102 sq. [f. 161 sq.] *sed quasi ferrum aut lapis | Durat*

L. IV, 717 *ut nequeant contra durare feroces*. cf. III, 338.

degere aevum

E. a. 119 sq. [a. 110 sq.]; Lucr. II, 1094. 16; V, 172. 1440.

esse; prisca fut. temp. forma *escit* E. a. 486 [a. 322]. *superescit* Lucr. I, 619. coniunctivi *siet*: E. trg. 326 [f. 359]; Lucr. II, 962. 1079; III, 101; V, 531. *fuat*: E. trg. 203 [f. 135]; Lucr. II, 3 83; IV, 637.

evolvere pro *exponere*

E. a. 178 [a. 176]. cf. supra p. 19. Lucr. I, 954; Cic. Arat. 234.

florere; cf. Servium ad Verg. Aen. VII, 804 florentes aere catervas: *Ennius et Lucretius florere dicunt omne quod nitidum est*, id quod Vahlenus (ed. Enn. p. 178) ad *semper florentem Homerum* (cf. supra p. 22) spectare suspicatur; praeterea vide

Lucr. IV, 450 *florentia lumina flammis*

V, 1442 *mare velivolis florebat puppibus*.

latrare; huic verbo est poscendi vis

E. a. 570 [inc. XXXIII a pag. 139]; Lucr. II, 17.

linquere lumina vel relinquere pro *mori*, quam dicendi formulam e Graeco sumpserat Ennius; (cf. Hom. Od. XI, 93 *λείπειν φάος ἠελίοιο*; cf. Il. XVIII, 11).

E. a. 150 [a. 151]; L. III, 542. 1025; V, 989.

---

[1]) Cf. Munroi comm. ad IV, 41 p. 525.

miserere, non impersonale

E. trg. 232 [f. 193] *miserete anuis*

a. 175 [a. 174] *Cogebant hostis lacrimantes ut misererent.*

Lucr. III, 881 *ipse sui miseret.*

mori; hoc in verbo apte monemus, nonnulla tertiae, quam nos dicimus, coniugationis verba ab utroque poeta quartae regula declinari; cf. E. a. 384 [a. 415] *morīmur.* 10 [a. 122] *parire.* Lucr. I, 71 *cupiret*; quam declinandi consuetudinem etiam aliis Romanorum poetis in usu fuisse constat. cf. Ov. met. XIV, 215 *cupidusque moriri.* Contra ea invenimus *potĭtur* E. a. 78 [a. 65]. Lucr. II, 653[1]).

mugire; huius verbi vis ab animalium vocibus in homines vel tubarum clangorem est translatata:

E. inc. VII [s. 88]. Lucr. IV, 543.

natare; de mari fluctibusque dictum

E. a. 584 [a. 570] . . . . *fluctusque natantes*

Lucr. V, 488 sc. maris . . *camposque natantis.*

pandere palmas

E. a. 352 [a. 364]; Lucr. V, 1200.

pangere; huius verbi usum non dubitamus quin Lucretius ab Ennio assumpserit. cf.

E. epigr. 2 [Testimonia XLVII p. 153]

E. a. 325 M.; Lucr. I, 25; 933 = IV, 8.

percellere

E. a. 312 [a. 534] *perculsi pectora Poeni*

trg. 59. 60 [f. 3 sq.] *Priamus . . mentis metu perculsus*

Lucr. I, 13 *perculsae corda*

261 *mentes perculsa novellas*;

conferendi sunt V, 1223 *percussi membra timore*

E. a. 392 [a. 535] *succincti corda machaeris*

nec vero dubium est, quin Ennianum illud Graecae, quae dicitur, constructionis[2]) exemplum Lucretio ante oculos obversatum sit.

---

[1]) De infinitivi praes. pass. in *ier* exeuntis forma antiqua nos plura docuerunt Prollius l. l. p. 34 sqq. Bouterwekius, Lucr. quaest. p. 35. Langius (Comment. Acad. Vindob. 1860 p. 1—58, imprimis p. 7).

[2]) Cf. Hom. Il. IX, 9 . . . *ἄχεϊ μεγάλῳ βεβολημένος ἦτορ.* Od. X, 247 *κῆρ ἄχεϊ μεγάλῳ βεβολημένος.* Plaut. Rud. v. 1290 *pectus tundor.* Poen. v. 818 *praepeditus latera forcipe ferreo* cett.

permetiri metonymice usurpatum

E. a. 74 [a. 60] *campos — permensa*

443 [a. 62] *sola terrarum — permensa*

Lucr. VI, 1142 *Aëra permensus multum camposque natantis*

IV, 394 *permensa — caelum.*

petens pacem

E. trg. 62 [f. 6]; Lucr. I, 40.

posse; *potestur* cum inf. praes. pass. pariter atque *coeptum, desitum esse* coniunctum et ab utroque in versus clausula positum:

E. a. 594 [inc. XVI p. 137]. Lucr. III, 1010 [1]).

pulsare pede

E. a. 1 [a. 1]. Lucr. V, 252 (sc. pars terrai) *multa pulsata pedum vi.* cf. Hor. c. I, 4, 13; 37, 1 sq. Ov. a. a. I, 112; fast. VI, 330.

quaesit: hac pro vulgari quaerendi forma et Ennius saepius et semel Lucretius utuntur. cf. Lucr. V, 1229. E. trg. 275 [f. 74]. a. 146; trg. 136. 161 [a. 143; f. 322. 350].

sonere in tertiae, quae dicitur, coniugationis morem declinatum [2])

E. a. 382; trg. 106. 213 [a. 408; f. 183. 137].

sudare sanguine; hanc phrasin ab Ennio mutuatum esse Lucretium recte colligas cf.

E. trg. 213 [f. 137] *terra sudat sanguine*

Lucr. VI, 1147 sq. *sudabant etiam fauces | Sanguine.* cf. V, 1129. Verg. Aen. II, 582.

tranare auras

E. a. 21 [a. 22]; Lucr. IV, 177. cf. Verg. Aen. X, 265 *aethera tranant.*

tuditare

E. a. [a. 121]; Lucr. II, 1142; III, 394, etsi huius verbi vim a Lucretio aliquantum esse mutatam haud ignoramus.

verrere mare vel aequora

E. a. 377 [a. 409]; Lucr. I, 277; V, 266. 388. 1226 sq.; VI, 624.

volvere; huius verbi gerundivum ab utroque poeta pro participio praesentis usurpatum:

---

[1]) Cf. Pacuv. v. 100 Ribb. *Si qua potestur investigari via.*

[2]) Cf. Prollium l. l. p. 30.

E. a. 520 [a. 472]; Lucr. V, 514; praeterea cf. V, 1276; VI, 179.

Restat, ut de particulis pauca adiiciamus vel potius nihil fere de illarum usu, si quidem propositum tenemus, proferendum esse concedamus. An quisquam Lucretium formam illam archaïcam *noenum*[1]) ipsi Ennio debere concluserit aut ex dictione *inde loci*[2]) aut praepositionis *indu*[3]) pro *in* usu certa Ennii vestigia colligere ausit? quae omnia ad Lucretii summum antiquae locutionis studium pertinere satis apparet. In formandis autem adverbiis hunc poetam saepe cum veterum scriptorum Enniique consuetudine congruere complures viri docti diserte probaverunt.

Sed haec de singularum vocum apud Ennium et Lucretium usu similibusque copulationibus hactenus; nam et illarum multitudo maior est, quam ut paucis eam absolvere possimus neque e singulis vocabulis quamvis similiter usurpatis nimis multa concludenda sunt. Tamen ex iis, quas protulimus, vocibus, subtraxeris licet unam vel alteram, recentiorem poetam antiquioris memoriae frequenter indulgere manifestum est. Lucretius enim, amantissimus ille Ennii et studiosissimus, in ea linguae Latinae, quae tum fuit, egestate, vocabula quaedam locutionesque, quibus Ennius, poesis Latinae pater et epicae dicendi copiae inter Romanos auctor, patrium sermonem ditaverat, in suam orationem saepe transtulit.

Iam ad finem primam huius quaestionis partem produximus satisque demonstrasse nobis videmur, Lucretium, qui in rebus philosophis, ut ait ipse, in Graecorum et Epicuri *ficta pedum ponit pressis vestigia signis*, cetera adeo suo proprio ingenio non debuisse, ut Ennii exemplum diligenter imitaretur. Nam ut, quaecumque supra proposuimus, una comprehensione complectamur,

---

[1]) Cf. *noenum* E. a. 314 [a. 287] Lucr. III, 199 *noenu* et Lachmanni ad h. l. comm. p. 149 sq. — Uterque poeta etiam quande posuit pro *quam* cf. E. a. 29 [a. 98] a. 139 [a. 132]; Lucr. I, 640.

[2]) Cf. a. 22. 522; sat. 3 [a. 23. 538 s. 5]; Lucr. V, 437. 741. 791.

[3]) In annalibus quidem Ennius praeter *in* nonnumquam *indu* dixit (cf. a. 243. 425 [a. 298. 490]), quo etiam in compositis utitur, velut a. 73 [a. 59] *indo-tuetur*, semper in subst. *induperator* cf. a. 86. 332. 350. 552 [a. 81. 377. 367. 496]; Lucr. IV, 967 *induperatores*. *Endo* semel in annalibus a. 563 [a. 553] ascivit et Epigr. 9 [sat. 73], Lucretius semel VI, 890; hic autem saepius *indu* II, 1096; IV, 367 *indugredi* etc.

ex Ennianis reliquiis, quamvis sint paucae[1]) atque truncatae, et carmine Lucretiano mira quaedam doctrinae studiorumque inter Ennium et Lucretium cognatio eademque utriusque de vita moribusque praecepta facile perspiciuntur, qua ex re apud alterum alterius auctoritatem nonnihil valuisse non temere concludimus; neque solum versum heroum Lucretius Ennio debuit, sed etiam ab hoc singulos versus sive integros sive leviter commutatos sumpsit atque in singularum vocum vel proprio vel poetico usu Enniana vestigia persecutus ad poetae Rudini exemplum suam orationem finxit formavitque. De rebus autem aliquot grammaticis, syntacticis, metricis, quarum in usu alter alteri multum debet, et complures alii docte iam disseruerunt et nos ipsi in altera huius disputationis parte paullo copiosius disputabimus.

[1]) Vahlenus praef. Enn. p. XIX et XX omnes annalium versus, qui exstant, versuumque particulas computatas vix tertiam partem unius ex duodeviginti libris complecti conicit.

Vita.

Natus sum Guilelmus Hermannus Pullig in provinciae Rhenanae oppido Hueckeswagen die VIII mensis Maii a. h. s. LIV patre Augusto, pastore evangelico, matre Mathilda, e gente Bongardt, quos parentes praematura morte mihi ereptos esse perquam lugeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primordiis cum primum domi a patre, deinde parentibus mortuis Elberfeldae, ubi avum matrisque sororem parentum loco habebam, non tam privato discendi ludo quam Ernesti fratris disciplina instructus essem, undecim annos natus in orphanotropheum Schindlerianum Berolinense receptus sum, cuius moderatoribus Klaedeno pastori † et Diesterwegio † plurimam meritissimamque me debere gratiam profiteor. Unde annis quinque post gymnasium Berolinense Leucophaeum adii, quod tum Hermanno Bonitzio † directore florebat, ibique cum multorum praeceptorum doctissimorum tum Bonitzii institutione per tres annos eruditus et ad studia philologica incitatus sum. Itaque cum verno a. LXXIII tempore maturitatis testimonium adeptus essem, nomen apud facultatem philosophicam professus civibus Universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis rite ascriptus sum octoque per semestria studiis philologicis deditus horum potissimum virorum clarissimorum scholas frequentavi: Haupt †, Steinthal, Duehring, A. Kirchhoff, Geppert †, Huebner, Droysen †, de Treitschke, Zeller, de Wilamowitz-Moellendorf, Kiepert, Vahlen. Quibus viris optime de me meritis omnibus gratias, quas debeo, quam maximas ago.

Deinde complures annos domestici praeceptoris munere functus et a. h. s. LXXX, cum officio militari satisfacerem, invalidus factus morbo diuturno a doctrinae studiis si non avocatus, at tamen aliquantum remotus sum. Quo factum est, ut anno demum h. s. LXXXV examen pro facultate docendi Berolini absolverem. Tum inde ab anni LXXXVI verno tempore per unum annum candidati probandi munere perfunctus sum in gymnasio Koenigstadiensi, quod Ludovici Bellermanni, viri docti humanique, ductu et auspiciis floret, ubi adhuc adiutoris exsequor munia officiaque.

Thesen.

1. Lucianus Muellerus (in edit. Luc. p. 288 sq.) Lucilium non a. u. 606, quem Hieronymus voluit, sed a. u. 574 natum esse optimo iure statuit.

2. In Hieronymo Euseb. Chron. ad a. Abr. 1923, ubi Lucretii libros a Cicerone emendatos esse tradit, Lachmannus Quintum Ciceronem intellegendum esse non recte iudicavit.

3. Contra Iesseni (cf. huius programma *Ueber Lucrez und sein Verhältniss zu Catull und Späteren* Kiliae 1872), iudicium est monendum, Catullum in nonnullis carminibus posterioribus Lucretii vestigia sequi.

4. Non recte Horatium reprehendas, quod in Lucilio aestimando severus fuerit castigator.